



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Exempla, Divinæ Iræ, Per Opera Poenitentiae, Nobis Leniendæ**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

§.6. Virginis de vita instituenda deliberatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52193)

abripuit, neque diu, neque graui cruciatu  
ægotantem, neque, vt apparebat, quid-  
quam metuentem. Quineam mortem illius  
consecuta est aëris serenitas, vt cælum  
ipsum *inexequijs deducere funus eius* videre-  
tur.

Hæc patris matrisque exempla habui,  
quæ, post matris obitum, puellarem egres-  
sa ætatem mihi ante oculos posui; eo scili-  
cet tempore, quo hinc ratio iam maturior,  
meliora mihi suggerere consilia potuit; in-  
de autem sanguis ardentior corporis illece-  
bras suppeditare cœpit. Quadam igitur  
die in vesperam declinante, sola in con-  
clauis meo sedi, vt seriò cogitarem mecum,  
quamnam biuij partem censerem arripien-  
dam. Ex vna enim mihi parte vita patris,  
ex altera fortuna matris proponebatur.  
Spiritus patrem, caro matrem exhibebat.  
Rationi vita patris, sensui fortuna matris  
probabatur. Fuit verè bonus pater, inque-  
bam, fuit patiens, fuit mansuetus, fuit so-  
brius; vixit, vt par est viuere hominem  
Christianum. Occurrebat tamen mox alia  
cogitatio; dicens: Sed quid eum iuuit ea vi-  
ta? quid profuit abstinentia? quid pietas lu-  
cri habuit? cum nihil in vita sua consecutus

VI.  
VIRGINIS  
DE VITA  
INSTITV-  
ENDA DES  
LIBERA-  
TIO.

66 *Cap. III. Damnata femina exemplo,*

fit boni, semper vel in labore, vel in dolore, atque omne tempus in corporis infirmitate, ac mentis tribulatione consumens; ac ne conjugem quidem habens cuius officijs ac benignitate foueretur. Denique tam tristis fuit vitæ eius finis, vt ipsum ei sepeliendo calum aduersaretur. Si igitur vita, si virtus, si mœurs patris mei Deo placuissent, aut hoc, in terra hac conuersandi genus in diuinis oculis bonum foret; cur tantam malorum segetem pater meus messuisset? An non meritò quiuisset dicere: *Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelsis? Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo obtinuerunt diuitias. Et dixi: Ergo sine caussa iustificauit cor meum, & laui inter innocentes manus meas. Et fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis.* Itaque consultissimum mihi est, semitæ matris insistere, atque vitam ad illius normam instituire, sectari voluptates, luxuriari, corpus libidini tradere, conuiuari, saltare, iocari, & nihil omittere eorum de quibus potest delectatio sperari. Etenim mater quoque ausa est omnia, neque vllum est opus tam turpe, quod prætermisit; in vino, in ebrietate, in saturitate, semper incolumis extitit, & sa-

na;

Psal. 72.  
11.

na; in omni lite, & licentia, in omni temeritate, fortunata. Ad extremum vitam quoque finiuit prosperè, & cælo velut applaudente. Quid igitur dubito? quid hæreo inter sacrum & saxum? quid me ipsam in partes distraho, atque affligo? *Sic oportet me vivere, sicut mater vixit.* Satius est enim oculis credere, & ijs quæ manifesta sunt, quàm sibi futura & incerta promittere. *Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt, & Sap. 2. 6. utamur creatura tamquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso & unguentis nos impleamus: & non pratereat nos flos temporis.* Quemadmodum etiam hodie nonnulli ex desperatione pacis dicunt: Nihil ampliùs orabo: non faciam quidquam pro pace, quàm diu jam frustra orauimus? O miser, tu nè Deo tempus præscribis? Quàm diu ille te expectauit? & nondum pœnitentiam agis. Expecta & tu illum; qui non desistet nos bello castigare, donec nos peccare desinamus. Sed pergamus audire Virginem.

In hunc modum vbi iuueniliter statui, inquiebat, cæcoque consilio decreui misera, matris exemplo, voluptatem omnium malorum matrem amplexari, nox aërem, me somnus occupauit. Dormienti astitit

E 2

quidam

VIT.  
ANGELI  
CUSTODIS  
APPAR.  
TIO. ET  
PATRIS  
OSTENSIO